

*Definitio:* Haberi potest illa ex iis, quæ supra de forma dicta sunt.

*Testimonium:* Extant hinc inde in sacris & profanis de honore & reverentia erga parentes quàm plurima, quæ ut hîc conflaremus, nostri instituti ratio non fert.

*IV. Syncategoremata* quod attinet, quæ nihil aliud sunt, quàm vel Subjecti vel Prædicati descriptiones & determinationes, ex hæcenus dictis facilè prodeunt; ita ex hoc loco Adjunctorum ratione subjecti hoc promanat syncategorema. Parentes, qui longo rerum usu edocti, experientiâ & sapientia pollent, meritò sunt honorandi. Ita ex parte Prædicati ex loco Adjunctorum enascitur tale syncategorema: Parentes sunt honorandi, eo honore, qui ex cordis petore propullulat, quiqve sua dignitate omnè aliû honorè (si illû, qui Deo debetur, exceperis) superat & antecellit.

*V.* Si quis hîc nudâ rei variationè intèderet, & solùm terminos simplices per vinculû verbi conjûgeret, amplissimâ & copiosissimâ propositionû & probationum segetem haberet, ut verba in tanta copia vix deesse possint. Sed ad rē.

*VI.* Quæadmodum verò in bello non sufficit armorû copia, nisi, quo loco, tēpore, qua ratione & modo sint usurpanda, monstretur: ita & hîc nondû sufficit, copiâ argumētorû esse instructû, sed in super requiritur, ut probè sciatur, quæ argumēta, & quo in loco sint adhibenda. Quod quomodo fiat, ex Genere causæ, ad quod pertinet, facilè dignoscitur.

*VII.* Digrediendo in super ad Genera causarum, ad *Deliberativum* thema nostrum referetur; versatur enim in svadendo, parentes scilicet esse honorandos.

*VIII.* Percurrendo itaq; locos Inventionis supra tactos, & in genere deliberativo præscriptos, argumenta exinde depromemus sequentia

*I.* A causa efficiente, tum ex parte Subjecti, tum ex parte Prædicati, quæ i. Deus; Ut parentes honoremus, non cujusvis relictum est arbitrio, sed severissimè ad eò omnibus est injunctum: Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus, &c. Confer Syr. 3. c. 6. 8. 9. Exod. 20. cap. 6, 12. Matth. 15. c. 6. &c.